



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1664

Excellentissimo Domino D. Lvdovico De Benavides Carillo Et Toledo,
Marchioni De Fromista Et Caracena, Comiti De Pinto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

DEDICATORIA
EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. L V D O V I C O
DE BENAVIDES
CARILLO ET TOLEDO,
MARCHIONI DE FROMISTA
ET CARACENA,
COMITI DE PINTO.

Ynes, Sanmuñoz, & Matilla Domino: Equite S: Ja-
cobi: PHILIPPO QVARTO à Cubiculis:
à Sanctoribus totius Monarchiæ Consiliis:

BELGARVM AC BVRGVNDIONVM.

SVMMO PRÆFECTO.



Artem Gaudendi semper, etiam
vbi omnia miscentur lachrymis.
Tibi cum offero, HEROS EX-
CELLENTISSIME, non tam eam e-
docturus venio, tanquam si no-
uam rem atque hactenus inaudi-
tam proferre sit animus; quàm demonstraturus
artem solummodò, aliisque ostensurus viam, quã
GAVDIVM istud vnicè tibi comparâris, quod om-

DEDICATORIA.

nes quidem, saltem votis prosequuntur, reipsa
verò assequuntur omnino perpauci. Magnarum
etenim id mentium solum est, longèque supra
vulgus Excellentium, eorum inquam, quos non
tam fors & natura, sanguinisque splendor & na-
scendi felicitas Magnos fecit (quamquam & in
his præclara sine dubio sint Virtutum semina)
quàm quos Virtus ipsa, & quæ hanc consequitur
sapientia, multum supra humanarum rerum vi-
cissitudines euexit.

Et ne deinceps nominum æquiocationibus
implicemur, GAUDIUM VOCO, Tranquillitatem
mentis perpetuam, Affectionum imperturbatam
æqualitatem, GAUDERE VERÒ assero Animum, in-
ter ipsas etiam ruentis Orbis procellas & ruinas,
si casus ferat, semper sibi similem, semper ere-
ctum, semperque constantem sibi. Verbo ut ab-
soluam, GAUDIO perpetuo frui censeo mentem
semper acquiescentem rebus, sibi, & Deo. Re-
bus; quia si euenierunt, nec eas impedire in ma-
nu est: Sibi, quod iis sit implicita: Deo; quòd ita
ei prorsus visum fuerit, omnemque ut eueniret,
ita rem direxerit. Hanc ego quietem Animi, GAU-
DIUM mentis & quidem perpetuum voco; si qui-
dem GAUDERE est optata consequi, & desideratis
frui. Mens enim sic constituta, numquam non con-
sequitur id, quod optat & quod vult; cum aliud
planè

DEDICATORIA.

planè nolit velle, nisi id quod euenit, illudque sic euenire & esse, prorsus approbet. En totam GAU-
DENDI SEMPER ARTEM. Talem enim Animum per-
turbare quid possit, cum ipsa met perturbationes
calamitatesque, quibus mortales quotidie inuo-
luimur, menti sic ad omnia præparata & exposi-
ta, acquiescendi deinceps, GAU-
DENDI, inquam,
noua semper sit materia?

Præclarè id Seneca: *Talis est, inquit, sapientis
Animus, qualis mundi status supra Lunam est; sem-*
per illic serenum est. Verùm, quamuis luculentum
id primâ fronte Sapientis esse videatur enco-
mium; penitus tamen vtrumque si componas &
conferas, minorem esse pro rei dignitate compa-
rationem inuenies, neque quæ præstantiam Sa-
pientis, semper inquam GAUDENTIS Animi, am-
plè satis magnificeque exponat. Nam vt semper
serenus sit æther qui supra Lunam per vastissima
cæli spatia expanditur; hoc certè exinde fit, quòd
vapores, fumi, fuligines, crassioresque humores è
terrâ & mari calore Solis educti (ex quibus tota
deinceps nubium, ventorum, imbrium, fulmi-
num, omniumque quæ sublunarem atmospha-
ram circumuoluunt vicissitudinum est origo)
sublimiorem illam & extra terræ reflexionem po-
sitam regionem non penetrant, imò ne attingant
quidem. Quid igitur mirum, serenitatem perpe-
tuò

Sen. epist.
59.

DEDICATORIA.

tuò dominari, vbi malæ auræ ne prima quidem sunt elementa aut vestigia? ea autem non esse, felicitatis id quidem est; quæ tamen cum Tranquillitate Sapientis animæ minimè debeat comparari.

Etenim Sapiens, medias inter procellas, et illicque enascentibus è terrâ vaporibus semper implicitus, serenum nihilominus habet animum. Inuidiæ si fuligine obducitur; obstrepentium, virtutemque arrodentium linguis si impetitur; ad nubes vsque hominum laudibus Regumque fauore, si educitur; ad ima rursus, per summum quamuis nefas, si detruditur, semper isthic serenum est, semper placidum, semper tranquillum. Hoc enim uero, præ regionis ætheræ serenitate, magnificum habet Sapientis Animus: utrobique serenum est, ast quam isthic tranquillitatem dat sola loci felicitas, huc eam induxit Virtus ipsa. isthic serenum est, quia impeti non potest cæli plaga tam longè extra terræ vicissitudines constituta; hic uero, quia impeti dum potest, perfringi tamen minimè potest uirtute suâ obuolutus, ideoque malis omnibus imperuius Animus. *Non enim contristabit Iustum* (hoc est uerè Sapientem) *quidquid ei acciderit*, imò, ut Hebræi habent codices, *non tangent quidem*: adeo supra res omnes humanas fortisque vices, inter humanas tamen res semper iatricata erigitur

PROU. 12.

DEDICATORIA

erigitur GAUDENTIS, aut si sic melius intelligar, Sapientis mens. Mihi vero perinde est GAUDERE, ac Sapere.

Hanc ego in Tementem, non tam admiror quàm veneror HEROS FORTISSIME, parum dixeram, addere nisi possem, ET VERO ETIAM SAPIENTISSIME. Neque tamen Sapientem Te idcirco nomeno, quod ipsa quamuis inter arma, Martisque graues strepitus iam inde ab adolescentiâ educatus, ita nihilominus Scientias omnes tam humanas quàm diuinas, Philosophiæ inquam Matheosque reconditoris placita, atque ipsius adeo Theologiæ mysteria es circumplexus (prout testari possum, qui copiosè de his rebus, & quidem ex insperatò, pro re natâ differentem cum admiratione audiui) sic vt non tam Heroem Te, armis & inter arma natum, quàm inter Musæi pluteos, & negotiosa librorum otia, annos omnes contriuisse, imò inter ipsas Apollinis lauros succreuisse, fas sit credere. Palladem Armorum Scientiarumque Præsidentem, vnâ & eandem fingunt Græci, & verò figmentum id sit. Saltem hæc duo tam disparata, Martem scilicet cum Arte, Arma cum scientiâ, scuta cum Libris, Ensem cum Calamo, in vno homine ad stuporem eximiè componi potuisse, sine vllâ Metamorphosi aut etiam figmento, in Te ipso fecisti credibile. Arma sic tractas, vt
nulli

DEDICATORIA.

nulli sis inferior: Scientias sic & suâ Parnasso ad
Martis castra non tamen inuitas pertrahis, vt Phi-
losophis, ne istud quidem iam relictum sit, vt sal-
tem sibi, videri possint soli sapere.

// Non tamen ex hoc capite Sapientem appellare
Te iam lubet. Isthæc enim omnia Scientiæ sunt
tantum, quibus quid quæque res sit, dignoscitur;
Virtutis adiumenta sunt; viæ sunt denique, quibus
ad Sapientiam deuenitur; quæ quidem non tam in
Intellectu, quàm voluntate ipsâ primariam sedem
collocat; quamque iam dixi esse solum GAUDIUM,
sive Animum rebus maiorem, sese contentum &
Deo; ideoque inter omnes fortunæ circumvolu-
tiones, semper constantem, semper suum, quia
semper Dei.

Hunc ego Animum in Te non adeo mirari me
dicebam modo, quàm venerari. Neque enim si in-
gentes spiritus, ad magna promptos, ad Heroica
agiles, ad ardua quæque perfringenda expeditos,
natura ingenitusque Nobilitatis vetustissimæ He-
roum sanguis Tibi sufficiant, tanto opere id admi-
rari debeo, qui scio non nisi summi Numinis de-
stinatione & consilio ad ingentia natum Te; eum-
que esse voluisse, per quem tam præclara, nobi-
lissimisque comparanda Hispanicæ Monarchiæ
Prouincia, Regis nostri Deique auspiciis, per tot
iam annos gubernaretur. Hæc autem per te agi
cum

DEDICATORIA.

cum voluerit Deus, non miror ego tantæ moli sustinendæ, humeros dedisse atque animos pares. Veneror sanè Diuinæ Mentis decretum, artemque quâ Te ab ipsis pene incunabulis, per minora primò quasi exercitia, ad maiora instituit, vt tandem ad maxima etiam in Republicâ gerenda munia, Prouinciarumque, quæ aliis Regna forent, gubernacula, veteranum iam virtutisque notæ Heroem, pro Tuis meritis, & Prouincialium incolumitate admoueret.

In primo enim iuuentutis flore Equitum cohortem in Belgio, Prætorianam vero in Insubriis præstantissimorum Imperatorum auspiciis dum ducis summâ fortitudine & prudentiâ, præludis tantum summis Præfecturis, quas Equitum primò, mox Campi, vt vocant, Magister Generalis in Belgio egisti felicissimè. Hinc ad Insubriæ clauum supremus Prouinciæ Imperator admotus per annos octo. Inde rursus in Belgium redux, Armarum Gubernator, ea summâ industriâ circumduxisti. Donec tandem & Sanctiori Monarchiæ totius Consilio adhibitus, & totius Belgij Burgundiæque Gubernator supremus designatus, Prouinciis his summo cum imperio es præfectus.

Et hæc quidem artes fuerunt & consilia per Te publicas res dirigentis, nobisque etiam per Te
 ē
 consu-

DÆDICATIONARIA.

consulentis Dei. In his verò tam eximiis dignita-
tibus, Præfecturis tam diuersis, tam expositis non
bellorum tantùm fortisque reciprocantis vici- //
bus, sed vt in rebus magnis fit, inuidientium etiam
arrosionibus, maleuolorum optima quæque per-
peram interpretantium calumniis, arcana consi-
lia ignorantium peruersis iudiciis, dictariis & que-
rimoniis, Animum tamen seruare semper intre-
pidum; nec aduersantis fortunæ inuidentiâ deii-
ci, & eneruari, nec arridentis plausibus efferri &
intumescere; semper isthic serenum esse, facto-
rumque conscientiam contentum viuere; hoc tan-
dem constantis, hoc Sapientis, hoc Viri est, hoc
denique Tuum est.

Certè si aduersa commemorare libeat: & quid
nil libeat, vbi tanta data est virtutis exercendæ, &
vero etiam prudentioribus ostendendæ materia?
Vidimus, cum luctuosus è Galliâ Flandris incum-
beret belli fragor, qui non exiguam ætate illâ Pro-
uinciæ partem peruasit, magnamque vicinæ Bra-
bantia minitabatur cladem: vidimus, inquam,
totâ in Te (nescio quo fato) belli mole incumben-
te, cum exiguis sanè copiis, arma Regia salutif-
que nostræ spem, totâ circumferentem Flandriâ
& Brabantiam, quibus Rem publicam, cedendo
turbini, sine dubio ne prorsus rueret sustentasti.
Calamitosus imprimis fuit is annus; Tu verò ca-
lamitatibus

DEDICATORIA.

laminatibus fuisti maior, eas qui intrepidè excipis;
& recessus necessarij inuidiam, hominumque sa-
pientissima consilia nobilissimosque ausus pro
suo genio conuitantium diçteria dum contem-
nis, superas.

Hoc enim uero Sapientis est, exemplo suo ma-
nifestum facere, nusquam siue in aduersis, siue in
prosperis deesse virtutis declarandæ aut tempus,
aut locum, aut materiam. *Sic Sapiens*, inquit ad
rem meam disertè Seneca, *virtutem si licebit, in* Sen. ep.
85.
diuitiis explicabit; sin minus in paupertate: si poterit,
in patriâ; si minus, in exilio: si poterit, Imperator; si
minus, miles: si poterit, integer; si minus, debilis.
Quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illâ me-
morabile faciet. Nam vt paullò ante rectè dixerat:
Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simula-
cra; faciebat ex ære. Si marmor illi, si adhuc uiliorem
materiam obtulisses, fecisset quale ex illâ optimum pos-
set. Illud autem ex reluctante tuis manibus fortu-
nâ, ex duris & asperis rebus fecisti Tu & Miles &
Imperator prorsus memorabile; exemplo tuo
quòd ostenderis, excipiendam esse pectore aduer-
so sortem etiam pessimam, non verò timidè de-
clinandam: ostendisti quid sit fortunam pati, &
tamen fortiter ferre: ostendisti quid sit clauum
cui admotus es constanter tenere manu, nec il-
lum dimittere irato mari: tranquillo enim, uti
ē 2 vulgo

DEDICATORIA.

vulgò dicitur, quilibet facilè Gubernator est. Denique quòd ne mundo quidem supra Lunam posito datum est, in ipso tempestatis feruore summo, serenus Tibi fuit animus, ad agendum semper promptus, numquam diffidens causæ, Regi, & Deo. perturbabantur omnia, imperturbato Te, Et talis Tu quidem in rebus asperis & aduersis.

Quòd si verò non commemorare, sed vel leuiter tantum attingere velim Tuam in felici fortunâ tum excipiendâ, tum etiam bene dirigendâ Sapientiam & virtutem, Deus bone! quanta, tam rerum à Te pro Rege fortiter feliciterque gestarum, quàm (quod non nisi magnis datum est mentibus) in prosperitate summâ, modestiæ Tuæ moderationisque demonstrandæ, sese mihi aperit materia, & quàm præclara? Sed quid attinet ea proferre, quæ omnium adhuc tenentur manibus, nostrisque sub oculis à Te prosperè sunt perpetrata? Admirati sanè sumus, versâ iam belli sorte, sub Serenissimi Archiducis Leopoldi auspiciis, Ductorem exercitus victricia signa explicantem, eâ felicitate, vt castra tantummodò, propugnaculis hostium admouisse, ea debellasse visum fuerit.

Incumbebat Lisæ fluuio infesta Flandriæ Armenteria; Ménena ad portas vsque Gandenses latè sub armis Gallicis dominabatur, & impune. Sed

neque

A DEDICATORIA.

neque huic profuerunt ingentia ex arte extructa valla; neque illi, vndique campis superfusæ aquæ, imò neque pluiæ quæ omnem artem superare, ipsaque adeo castra nostra iam iam disiectura videbantur. Vnius impressionis nocturnæ, sed à Te vigili curâ directæ & factæ, Menena labor fuit. Paucularum septimanarum circumuallatione stetit Armenteriæ expugnatio.

Quid quod & ipsum Landrecium, validissimum in Hannoniâ oppidum, eadem celeritate inopinatò mox cinctum, impetum, expugnatum sit hebdomadis propemodum tribus, quæ olim cum lentius gerebantur bella, explicandis castris vix sufficerent?

Eodem planè Marte, plura per Flandriam recuperata sunt oppida, copijs sane exiguis, sed ausu ingenti. Testis est Dixmuda; ex qua pauculis diebus exacti Galli, numerum obsidentium egredientes exaquabant. Pares erant impugnantium, & propugnantium copiæ, si Ducem excipimus. Nescio an nomen Tuum horruerint; illud scio, cessisse Virtuti.

Hæc cum agis, reliquamque Flandriam ex hostium manibus erepturus dum videris, ecce in Italianam Regio imperio auocaris, Mediolano & Insubribus, summâ cum potestate & imperio præfuturus. Nutabant, certè isthæc res nostræ, nisi tempe-

DEDICATORIA.

stiuè, fluctuantibus subuenisset virtus Tua, solita-
que in agendis rebus Prudentia, Fortitudo, Dili-
gentia, & Celeritas.

Magnis copijs Cremonam, toti Insubriæ eâ cap-
ta formidabiles posthac futuri, cinxerant Galli, sum-
mo copiarum Præfecto Plesseio Pralino, Mutinæ
Duci juncti, quem pollicitationibus in suas partes
hostes traxerant. Inualida erant mœnia, magnoque
obsidentium diruebantur impetu, concidisset procul
dubio, nisi Tuâ fortitudine stetisset vrbs. Quid e-
nim? non immisis tantum identidem copijs & an-
nona obsessos recreabas, sed quod hactenus vix
auditum, supremus belli Dux cum esses, ipsemet
in urbem clam penetrans, obsessos subinde inuise-
bas, valla reparabas, mandata dabas Ducibus, ani-
mos militibus, ciuibus indubitam liberationis spem.
Et sic in hac obsidione, vt rectè Rerum Italicarum

Iosephus
Riccius,
de rebus
Italicis
Narrat.
26.

Scriptor, Iosephus Riccius; *Ministrorum defectu,
Imperatorem, Chiliarchum, Castrorum, reique fru-
mentaria Præfectum, annona Curatorem agens,
indefesso gyro circumuolitans, vnus obsessis omnia
sufficiebas.* Agebas omnia, Regis rem cum agis in-
defesse. Tua certe virtute Cremonam stetisse, in
confesso est.

Quod si Te militem etiam sed egregiè & non
gregarium, agentem libeat aspicere; vidit certè Te
Trinum paulò post à Te obsessum, tormenta in sug-
gestibus

AD E D I C A T O R I A .

gestibus magnâ curâ disponentem. Cùmque vi multâ obsessi ex oppido in valla irumperent, neque adèò milites nostri impetum ferrent, iamque è statione palabundi discederent, *conspecto*, inquit Riccius, *popularium discrimine*, *arrepto hastili ante primos ordines procurrens*, *Tuo exemplo tuis animatis ad pugnam*, *præsidarios celeriori quàm venerant gradu*, *minoreque numero in oppidum redire coëgisti*. Paucis dein diebus, ex vrbe exacti sexcenti præter læsos præsidarij, Imperatoris iussa acceperunt non inuiti, cuius in Milite fortitudinem admirabundi suspexerant.

Ricc.
Narrat.
28.

Et hæc quidem vehtationes erant, quibus ad summum illud Martis & Artis opus, dignum Tuâ magnitudine, præludebas. Cafaliæ validissima Ducis Mantuani in Monferrato vrbs, erat in oculis & in votis. Gallieis tenebatur armis; suspecta circumfusis Principibus vicinia, & verò toti Italiæ formidanda, Insubriæ præsertim infesta. Ipsa vrbs ex arte munita, Castello insuper (ita vocant) propè inexpugnabili, ac nouâ demum Arce egregiè sustentata, facile quorumcumque hostium vires eludebat. Illudebat quin imò omnibus. & quia tertio, fortissimorum Ducum obsidiones licet arctissimas tolerauerat impinè, solâ iam famâ, quâ sæpe geruntur bella, tueri se posse videbatur.

Verùm alijs denegata, Tibi à Deo domandæ Cafaliæ

faliæ

DEDICATORIA.

falia reservabatur gloria. Arti Tuæ, & Marti cedit.
 Artis fuit & industriæ Mantuanum Ducem in belli,
 ipsi tam utilis, societatem pertrahere, Urbem ipsam
 exactis inde Gallis, Ducis sui imperia acceptare,
 militemque nostrum excipere. Martis vero, Castel-
 lum validissimum, sæpiusque fossis & vallis inter-
 cisum, tridui spatio expugnare, stupentibus in Ar-
 ce Gallis, neque rei tam incredibili fidem danti-
 bus.

Credibilem tamen fecit rem tam inexpectatam,
 Arcis ipsius oppugnatio, quæ quidem tanto feruore
 animi fuit impetita, ut nequidquam fortiter agenti-
 bus Gallis tandem Fortitudini Tuæ cesserit. Men-
 sem unicum non tenuit tantum facinus. Vigesimo
 quarto Septembris ex urbe in Arcem & Castellum
 sese recepere Galli, tradidere se & arcem Octobris
 vigesimo primo. Sic demum munimentum istud
 inclutum, toties nequidquam impetitur, quod
 præclarissimorum Imperatorum industriam co-
 piatque toties fatigatæ, Martis Campus, Fortunæ
 theatrum, Italiæ denique terror, in manus Tuas ve-
 nit: terrorque ab Italia sublatus est, cum Arcem
 summa fide, quamque tota obstupuit & venerata
 est Europa, in Ducis Mantuani manus consignasti.
 Si mensera prodidimus, annum tamen, quo hæc
 gesta sunt, frustraneum est adscribere. Annos enim
 suos, & triumphos Tuos, ipsamet satis nume-
 rat,

DEDICATORIA.

rat, & exprimit Tuâ virtute DOMITA CASALIA.

Memoranda hîc etiam mihi foret, nisi hanc in paucis celeberrimam toto orbe victoriam, secuta fuisset Papiensis obsidionis præclara solutio. minus ea illustris Tibi quòd sit, solus fecit præcedens de Casaliâ triumphus. Arctâ eam coronâ multo iam tempore, ingentique molimine, arma Gallica Duci præstantissimo Principi Thomæ Sabaudo coniuncta presserant, & fere oppresserant; nescio an luculentam isthic olim Galliæ inultam cladem, Regisque sui Francisci captiuitate imprimis nobilem, vltura. Istud constat, renitentibus aduigilantibusque nequidquam hostibus, summâ arte & verò etiam fortitudine, vrbi obsessæ de militibus annonâque militari primùm prospexisse Te: coactis deinde vndique copiis, cum impressionem in ipsa castra meditaris, neque fortissimi quamuis essent aduersæ partis Duces, suam fortunam cum Tuâ virtute audent componere, urbem tandem obsidione, totamque Prouinciam deinceps ab omni metu liberasse.

Atque hæc quidem omnia (captæ inquam tot vrbes, sustentata, & contra vim hostium immunis conseruata octo annis Insubria) milite admodum exiguo à Te confecta sunt, ærario autem tam exhausto & tenui, vt cum teste Riccio *ante obsi-*

dionem Casalia pecunia deesset militi, argentea toreu-

i

mata,

Ricc. Su.

DEDICATORIA.

mata, anaglypha, pretiosos lapillos, monilia pignori dederis, ut extractam ex iis non pœnitendam pecunia summam, in alendo exercitu totam impenderes. Quid non tam munifico Duce miles audeat, quem publica agentem, publicis videat priuata postponere cùm res sic postulat, neque tam suam agere, quàm Regiam & communem?

Sanè virtus hæc Italiæ concessa, Belgio vbi succreuerat, debebatur. Postliminiò igitur post octo annorum in Insubribus Præfecturam tantâ cum laude, tantisque Prouincialium applausibus exactam, Belgio redditus es, Serenissimoque Principi Ioanni Austriaco summus armorum Præfectus & Gubernator additus, tum cùm imminens Gallici belli impetus, validissimo & maximo castrorum apparatu Valencenis incumberebat. Neque minores Duces expetebat res & periculum, quod non vrbi modo, sed & Hannoniæ imminerebat vniuersæ. Discussa est tam immanis tempesta nocte vnica: superata sunt hostium valla ausu immani, celeritate maximâ; exuti castris Galli, & cum Aurorâ serenitas rediit toti Belgio, vti summo opere & per dies singulos expectata, ita sanè totius Prouinciæ plausibus longè maximis, gratulationibusque excepta. Quid enim non expectarent Belgæ talibus armorum Ducibus? Eos hic referre huius loci non est. est autem, dicere victo-
riam

D E D I C A T O R I A.

riam hanc longè præclarissimam, Te summo Ar-
morum Governatore, cuius est singula digerere
in ordinem, digestaque exequi, fuisse reportatam.
Taceo rectiperatum exinde Cōdatum, & S. Gisle-
nifanum, nequidquam vndis, paludibus, vallisque
munita oppida. post Valencenas obsidione solu-
tas, nihil imperium fuit armis tam felicibus.

Plures sine dubio triumphos expectasset Bel-
gium, tum cū Tibi post discessum Serenissimi
Principis Ioannis Austriaci, totius Prouinciæ ad-
ministrandæ summo cum imperio cura fuit de-
mandata, nisi Pax superueniens Belgio, Martem
sappressisset. Hæc tandem Tibi debebatur pro
meritis tantis Præfectura, præclarissimaque Pro-
uincia, tanto sanguine procurata, Heroum palæ-
stra, Martis schola toto orbe celeberrima.

In hac verò, bella triumphosque Tuos vltorius
explicare datum cū non fuerit, Pacis certè Ar-
tibus commissam Prouinciam exornare studium
Tibi fuit & cura imprimis vnica. Atque vt cæte-
rataceam, ne nimium diffluum, quanto demum
molimine id perfecisti, vt merces, quas è vicino-
rum manibus summo suo dispendio, quasi pre-
cariò emendicare Prouinciales debuerunt hæte-
nus, patefactis iam fluminibus, portuque Osten-
dano expurgato, ipsi sibi è Regnis etiam dislitis
aduehere iam possint commodè, suasque vicissim

DEDICATORIA.

exteris, suis ipsi manibus nauibusque consignare?

Quantis hæc res stetit non impendiis modo, sed & inuidentium cauillis! quæ non fuere difficultates complanandæ imo & deuorandæ! quanto studio allaboratum est, vt foetus hic tam faustus, in ipsis cunis præfocaretur! Reluctantibus tamen nequidquam qui tam præclarum opus, aut ob rei vti videbatur difficultatem, aut ob priuata commoda, quod de multis magis crediderim, differendum saltem in pacatiora tempora iudicabant, Tu solo boni publici amore, eaque quâ vt Belgio vniuerso faueas, beneuolentiâ duceris, tandem perfractis omnibus quæ sese interposuerant impediementis, Oceanum nescio quâ infelicitate hætenus interceptum, priuatorumque emolumentis interclusum, ad nos deriuasti, & cum Oceano commercium & diuitias.

O quanta nunc exoritur, sua si bona norint, Belgis felicitas! Iam tandem Pacis commoda dabitur experiri, cum pleno allabitur Copia cornu. Interim quid tibi non debet Belgica, qui & Arte & Marte, Pacis Bellique studiis Prouinciam hanc splendori pristino restituere tantopere allaborasti? Vndis inscribi dicitur, quidquid facile ex hominum memoriâ elabitur. Immortalis igitur erit hęc in Prouinciis Tui memoria, quam etiam vndæ ipsæ quantumcumque fluxæ & instabiles, felicita-

DEDICATORIA.

felicitatem Belgis ex Oceano quotidie deferentes, suo motu & allapsu quotidie identidem renouabunt.

Verùm quò me auehit facinorum Tuorum inexhausta materia? Maris æstus est; cui si quis se committit, illico incautus abripitur. itaque retrahendus est pes, etiam inuito. Illud tamen quod ad rem meam facit maximè, iam dicendum est. Mirabuntur fortassis alij præclarissima hæc vereque Heroica facinora, quibus Tibi ad Præfecturas summas gradum fecisti, & nomen apud posteros immortale. Ego verò inter tot tamque ingentes blandientis Fortunæ illecebras, quibus abriperentur alij, constantem animi Tui æqualitatem, mentisque moderatiõnem veneror & obstupesco. Aliis semper aliisque dignitatibus adhibitus; aliis semper aliisque victoriis clarus, numquam fuisti alius, sed semper Idem, Tuique similis: affabilis inquam, benignus, comis, & ad humanitatem omnem factus, semper Tuus, idem semper. Nisi alius fortasse dici debeas, quod crescente Fortunâ, semper visus es modestior.

Neque clientes tantùm Tui, & amici, sed & hostes ipsi comitatem Tuam affabilitatemque experti, eam læpissimè deprædicarunt; quibus illud solatij fuit victos fuisse, sed à Te. Humanitate hæc & Serenissimus Mantuanus Dux in belli societa-

DEDICATORIA.

tem adductus est; & verò Mutinensis ipse arma
 Tuam expertus, nec tamen adhuc fractus, iis
 dum nondum cedit, beneuolentiæ Tuæ cessit tan-
 dem, amicalque iunxit manus. & quem armis po-
 teras victor prorsus proterere, maluisti modera-
 tione demereri. Hoc certè est & Heroem esse &
 verè Sapiensem virum, in omni varietate fortis
 animum seruare eundem, nec in prosperis præ-
 feruidum, nec remissum in aduersis. Talis Tu qui-
 dem es, neque dum hæc à me dici ægrè fers, aliud
 agis, quam re ipsa fidem facere verbis meis; facis
 enim quod modesti est: & talem te esse contendo.

Interim dum sic agis, et tanta Virtus nobis eri-
 pitur: & Hispania quæ iuuenem Te huic Prouin-
 ciæ dedit, Virum iam meritisque plenum repetit.
 An igitur succrescere & maturescere hisce in ter-
 ris debebat Heroica illa indoles, vt Hispania fru-
 ctus iam maturos decerperet, iisque præ nobis
 frueretur? Fateor; ipsa quidem Te iure suo postu-
 lat; à Patria enim expeteris, Patriamque repetis.
 Sic est. sed si rectè rationem teneo, dum Patriam
 petis, Patriam delegeris. Nam si, *viro forti omnis ter-
 ra Patria est*, certè potiori iure, eam hoc nomine
 gaudere conuenit, in quâ non tantùm egisti forti-
 ter, sed & beneficè. Hispania locum natiuitati
 Tuæ cum dat, te fecit suum: Belgium verò, ape-
 riendæ virtuti Tuæ campum dum explicat, Te
 suum

DEDICATORIA.

suum fecit: Belgio autem tot nominibus cum benefacis, fecisti Tuum. Patriam igitur isthic nascendo accipis; Belgium verò beneficentiâ Tua, Patriam facis. Vtram iam, si iure agendum est, præferendam existimas, an quæ tibi sorte obtigit, an quam Tuam Virtus facit? Iusta hic sanè cum Hispaniis exoptulandi nobis data est materia.

Verùm cum ita Numen tulerit, cuius quidem sapientissima decreta ingens aliquod in Te, & per Te, bonum Hispaniis prætendunt, hæc sanè duo nobis erunt solatio. Primò quidem quod in ære Belgij futuræ iam sint Hispaniæ, Heroem tantum quod remiserit, totque victoriis exercitatum virum; quem Tironem è Patriâ aduentantem, indoles quidem præcellsa, tantoque digna sanguine faciebat aspectabilem; sed vti herbam futura messis, ita indolem tam egregiam, spes sola Heroicorum facinorum eo tempore commendabat.

Nam si, vt plerumque fit, indoles innata sit sanguini, generosique spiritus ex auitâ progenie trahant originem; quid non expectari iure merito poterat ab eo, qui ex vetustissimâ, totâque Hispaniâ celeberrimâ BIEDMÆ domo sanguinem trahis & genium? Satis constat iam inde à quadringentis propemodum annis, anno inquam MCC-
Argote de Molina l. l. c. 34.

DEDICATORIA.

vt aiunt, rectâ, & stirpe non interruptâ Paternam
 ducis originem, inter RICOS HOMBRES fuisse nu-
 meratum: quos quidem & ex stirpe Regiâ ple-
 rumque fuisse, Regni primores, quos hodie Ma-
 gnates siue GRANDES appellamus, eosque qui ad
 summa quæque belli pacisque adhiberentur con-
 silia; imo qui & subditis, si forte deficerent, suis
 suffragiis Reges darent, aut etiam in Reges delige-
 rentur ipsi, ex antiquis Hispanis auctoribus præ-
 clarè demonstrat, antiquitatis eruderator egre-
 gius Ioannes Iacobus Chiffletius. Scimus vt IG-
 NATIVS ille DE BIEDMA, ausu omnino memorabili
 & digno tantâ indole, Iolante Arragoniæ Reginâ
 à Mauris fortè captâ & in vincula summo totius
 Regni dolore abductâ, in hostium castra violen-
 tus irruerit, repagulisque quibus concludeba-
 tur effractis, Reginam pristinae libertati, Regi,
 Regnoque restituerit, nequidquam frendente
 Mauritaniâ, tantoque facinori applaudentibus
 Hispaniæ regnis vniuersis. Nescio an quis opima
 magis spolia, victor ab hoste ad sua castra reduxe-
 rit; gratiora certè vnquam relata fuisse, non cre-
 do. Alia possent adferri quam plurima, quæ præ-
 clarissimam BIEDMÆ, Tuam inquam domum
 commendarent, nisi ea manibus teneremus, quæ
 tam illustrem sanguinem non iam Proauorum
 facino-

In Chil-
debrando
5to.

Molina l.
2. c. 34.
Lopez de
Haro, &
alij.

ab otocis

DEDICATORIA.

facinoribus, sed Tuis insignirent. Felicitatis si fuit progenitores nancisci fortissimos, Virtutis sanè tuæ est, iis dignam esse sobolem; neque tam à Proavis splendorem accipere, quàm iam acceptum ad Proavos reflectere, eos illustriores præclare factis reddere, antiquamque famam iam vetustate fere obductam, novis facinoribus augere, saltem, ut verbo absit invidia, renouare. Certè quod **IGNATIO DE BIEDMA** Progenitori Tuo fuit Arragonia, hoc Tibi Belgium fuit, ingenitæ nimirum Virtutis ostendendæ, & exercendæ campus celeberrimus.

Alterum quo absente Te, sese Belgium consoletur caput est, Prouincias hæc amare quòd non desines, quibus tanto Tuo labore & studio fecisti benè; ut ergo alia Belgio deessent omnia, Tuum certè in eo beneficium adamabis.

Iam verò, cum Beneficentiæ Tuæ toti Prouincia exhibitæ mentionem fecerim, certè eam quam minimæ Societati nostræ iam inde ab adolescentiâ tuâ præstitisti, quæque cum annis dignitatibusque, tanquam Tibi ingenita, creuit quotidie, nec obliuisci possum ne ingrati vitium incurram; neque etiam commemorare audeo, ne dum rem pro dignitate non satis expono, penuriam dicendi faciam manifestam. Certè Societa-

DEDICATORIA

tem nostram ita complexus es, ut eius patrocini-
um, neque ob maleuolorum inuidiam, neque
ob calumniantium arrosiones, delationesque non
sinceras, imo ne ob Principum quidem, quibus
res nostræ minus fortassis erant perspectæ, bene-
uolentiam, vniquam dimiseris: tutatus es quini-
mo impensius, re & fauore sustulisti, & quod ve-
rè Magnanimi est vereque Benefici, non dissimu-
lanter & clanculum, sed palam & aperto Marte.
Denique ut paucis, non absoluam sed tangam
omnia, Societatis nostræ egisti Patronum & Pa-
trem. Gratiam pro tantis meritis referre non po-
test exilitas nostra: neque vero gratias dignas re-
ferri patitur Magnitudo Tua, illud saltem patere,
ut Nomini Tuo quàm maximè nos obstrictos ef-
se, candidè & ingenuè fateamur. Hoc ipsum ve-
rò dici Tibi si non pateris, Benefici rursus partes
agis, cuius est beneficiorum facile obliuisci: à me
verò si dicantur, etiam reluctante & inuito Te,
grati quidem, quæ nostræ sunt, partes omnino
non expleo, agere tamen aliquousque incipio. Sin
autem eas non ago pro meritis Tuis, debitisque
nostris, illud sane confiteri non erubesco, hume-
ros mihi esse impares tantæ moli, & me rei magni-
tudine prorsus opprimi.

Accipe nihilominus HEROS INCLYTE, hanc
qualem-

A DEDICATORIA.

qualemcumque debiti nostri, cui persoluendo non sumus, testificationem sanè exiguam. Exile est quod offero & re & mole; nihilque admodum insigne continet, nisi duo. Vnum, quod Nomine Tuo passus sis hoc opus insigniri; alterum quod Theoriam contineat adumbratam Artis illius, quâ ad veram Sapientiam deuenitur, quamque non adumbratam tantummodo, sed viuis in Te coloribus expressisti. Fruatur Virtute hâc, eâque felix sit Hispania: alterum hoc solatium absentia Tuæ nobis relinquis, Tuo consilio, Prudentiâ, Fortitudine, Sapientiâ fruitura quod sit Monarchiæ nostræ sedes, vnde tanquam ex fonte, maiores etiam bonorum riuos, ad se, Te isthic præsentem, defluxuros, Belgium non immerito, & ferè dixeram suo iure expectat.

Prosequetur interim iter Tuum Societas nostra votis suis: illud identidem exoptans, vt, care te cum sit necesse, quàm felicissimè & quàm citissimè cum lectissimâ & EXCELLENTISSIMA TORI, dignitatum, virtutumque Tuarum CONSORTE, Regis oculis sistare; Virtutemque Tuam, quam iam triginta & quod excurrit annis, per remotas à Regio conspectu regiones, & procul à se distitas Prouincias imperiis suis & auspiciis circumduxit, coram etiam aspiciat, experiatur, admiretur

A D E D I C A T O R I A

tur, & meritis tandem præmiis afficiat.
Ita vouet ex animo Societatis nostræ Prouin-
cia Belgica & in hac ego minimus; animo tamen,
res quâuis desiderio non respondeat, non mini-
mus, HEROS INCLYTE.

EXCELLENTIÆ TVÆ

Profectum interitum iter Tuam Societas no-
stræ, & Clientis obsequentissimus

ALFONSVS ANTONIVS DE SARASA
Societatis IESV

Regis oculis illustræ Virtutibus Tuam, quam
a Regio conpedita, & procurata se distat
Prouincias imperiis suis & auspiciis circumdu-
xit, coram etiam alpicat, experiant, admite-